

praecedentis; hoc vero est falsum. Ergo nulla est repugnantia quod eadem persona (sive moralis sit sive physica) et definiat et credere debeat quod definivit, sive quod per suum ministerium Deus ipse definivit.

II. Difficultas esse potest: Romanus Pontifex non tenetur legibus a se latis ex potestate suae iurisdictionis, saltem coactive, quia nemo in se ipsum potestatem habet coactivam: si ergo auctoritas docendi est potestas iurisdictionis, decretum fidei editum a Romano Pontifice erit actus suae iurisdictionis: non ergo eo decreto tenebitur Pontifex: vel igitur dicendum Pontificem non teneri ad credendum quod definivit, et falsum est quod dictum est prius; vel negandum auctoritatem docendi esse partem potestatis iurisdictionis, quod tamen catholici doctores communiter docent.

Respondeo. Potestas iurisdictionis magisterii extenditur in subditos; Romanus autem Pontifex nulli iurisdictioni in terris est obnoxius. Itaque credere ipse debet, quia credendum est Deo revelanti cum certa est revelatio, non tantum quia Ecclesia id praecipit, sed quia lex naturalis id exigit, et ipse Deus positive praecipit: at concedimus Romanum Pontificem non teneri vi coactiva magisterii Ecclesiae, quemadmodum nulla poena sive excommunicationis, sive alia quavis obligari potest. Si tamen prout privatus homo teneret doctrinam oppositam dogmati definito, deformis esset a magisterio Ecclesiae, et vere haereticus, quia repugnaret veritati revelatae manifestatae per magisterium Ecclesiae; non esset tamen proprie inobediens Ecclesiae; quia non est inobediens qui superiorem non habet.

Igitur auctoritas docendi est potestas iurisdictionis, sed respectu subditorum: quare deficit quoad ipsum Romanum Pontificem eumque solum. Unde ad argumentum: vel Romanus Pontifex credere non tenetur quod ipse definit, vel actus docendi non est actus iurisdictionis, quam nemo in se ipsum exercet; respondendum est, quod tenetur credere; sed non propter obedientiam debitam iurisdictioni Ecclesiae, at propter obedientiam debitam Deo: et quod actus eius docendi est quidem actus iurisdictionis, sed erga capaces h. e. subditos, non erga se ipsum.

FINIS

APPENDIX

Absolvimus tractationem de Romano Pontifice, cuius Primatus demonstratio si teneatur, non opus est alia nota ad discernendam veram Christi Ecclesiam. Verum quia catholici tractatores solent in controversia cum Protestantibus ab hac speciali nota praescindere, et in quaestionem adducere an Ecclesia Romana quae nempe Romano Pontifici obedit, sit vera Ecclesia; quoniam de Ecclesia egimus in prolegomeno, ne huius rei tractatio manca videatur, subiiciemus breviter tractationem de notis Ecclesiae, ut exinde quoque pateat quod toto tractatu praecedenti effecimus, Ecclesiam Romanam esse unicam veram Ecclesiam.

§. I.

Necesse est Ecclesiam veram Christi aliquas habere notas, propter quas cognoscatur et discernatur a falsis sectis. Inepte vero Protestantes notas Ecclesiae esse constituunt veritatem doctrinae, et legitimam Sacramentorum administrationem. Sed unitas, sanctitas, catholicitas, et apostolicitas, quae sunt ontologicæ proprietates Ecclesiae, sunt logice eiusdem quoque notae; eaeque necessariae omnes sunt, ut aliquis coetus vera Christi Ecclesia existimetur; atque sufficientes tum simul omnes, tum quaedam quoque ex illis seorsim, ad demonstrandam veram Christi Ecclesiam.

I. Nota proprie ad subiectum refertur quod ipsa manifestat; ideoque minorem habet extensionem ac signum: nota igitur id est quod cognitum cum sit ad certam notitiam subiecti conducit. Potest esse nota tum intelligibilis tum sensibilis, iuxta indolem subiecti: cum vero subiectum, cuiusmodi est Ecclesia, sensibile est; nota debet esse et ipsa sensibilis non quidem ita, ut sit aliquid tantum immediate visibile; subiectum enim cognoscens, pro quo necessariae sunt notae, non est sensus sed intellectus, et obiectum cognoscibile non est solum id quod sensibus subest: sed ita debet nota esse sensibilis ut quod est intelligibiliter visibile, contineatur in eo quod sensibiliber visibile est quemadmodum diximus (§. X) de Ecclesiae visibilitate. Cum subiecti notitia investigatur per notas, nota debet esse, non quidem in se, sed quoad nos notior eo, in cuius notitiam adducit. Subiectum manifestandum a notis Ecclesiae, non est simpli-

citer Ecclesia aliqua visibilis: sed est Ecclesia visibilis *vera*, habens veram fidem, legitimam administrationem Sacramentorum, legitimam auctoritatem regendi, hoc enim est quod quaeritur: videntur quidem plures coetus qui se iactant esse Ecclesiam Christi; quaeritur autem quis ex his sit *vera Ecclesia*. Ecclesia autem visibilis esse debet etiam prout est vera Ecclesia, ut probavimus §. X.; fit autem visibilis per notas. Cum enim Ecclesia debeat esse in se ipsa visibilis, oportet ut visibilis fiat per id quod ipsi inhaeret; quod autem ipsi inhaerens eam manifestat, est proprie nota eius. Quare necesse est Ecclesiam veram aliquas habere notas, quibus a falsis certe discernatur. Oportet enim eam esse perspicuam infidelibus, ut ad eam accedant; oportet ut fideles eam certe discernant a falsis sectis, ut possint ab earum communione se cavere. Id porro sine certis signis sive notis obtineri nequit. Unde patet quaestionem de notis necessariam esse.

Cum per notas inquiritur vera Ecclesia non supponitur deesse notitiam verae Ecclesiae in abstracto h. e. notitiam quid et qualis debeat esse Ecclesia, quam notitiam ex Scripturis haurire licet. Sed supponitur deesse notitiam verae Ecclesiae in concreto, h. e. notitiam quod hic coetus sit reapse ea vera Ecclesia cuius notionem in abstracto gerimus. Quam quidem notitiam in concreto obtinemus quatenus alicui coetui applicamus notionem abstractam videmusque illum huic optime respondere, sicut cum applicantes alicui individuo notionem hominis, videmus ipsum esse hominem.

Cum nota sit aliquid subiecto manifestando inhaerens, illudque certe manifestans, illud tantum potest esse nota quod sit eiusdem proprietates, ita ut tanquam proprium competat subiecto vel aliquid unum, si una est tantum nota, vel saltem tota collectio plurium, si plures inveniuntur notae. Proprium autem sive proprietatem dicimus id quod subiecto essentialiter aut necessario competit, ipsique soli. Huiusmodi debere esse Ecclesiae notas evidens est. Si namque non necessario insunt, sed possunt et abesse, ipsis deficientibus non cognoscetur Ecclesia vera; si autem sint communes etiam Ecclesiae falsae, vera Ecclesia per eas non discernetur a falsis.

Nota potest esse positiva, et negativa: sive functio notae duplex esse potest, affirmans aut negans. Nota positiva est, seu functionem habet affirmantem ea, qua existente in aliquo coetu cognoscitur eo ipso illum esse Ecclesiam veram, quemadmodum posito miraculo in testificationem alicuius doctrinae, cognoscitur hanc esse doctrinam veram. Nota negativa, sive functionem habens negativam ea est, qua deficiente in aliquo coetu cognoscitur eo ipso illum coetum non esse Ecclesiam veram: ut si desit Apostolicitas alicui coetui, iure statim infertur ipsum non esse Ecclesiam Christi.

II. Quandoquidem ea res, quae est nota, debet esse aliquid proprium Ecclesiae, et debet manifestare omnibus cum certitudine veram Ecclesiam, nequeunt notae ex arbitrio cuiusque confingi, sed opus est ut sit aliqua norma obiectiva iuxta quam notae constituentur. Haec autem norma ex duplici fonte hauriri potest, nempe a ratione, vel revelatione. Scilicet Ecclesia spectari potest tum sub conceptu generico societatis religiosae divinae, tum sub conceptu specifico, eo nimirum qui in revelatione Christiana continetur. Rursus Ecclesia vera debet esse manifeste discernibilis a falsis sectis non tantum pro fidelibus, sed et pro infidelibus, qui ad eam accedere debent, quique nondum fidem adhibent divinae revelationi. Iam vero 1) potest ratio ex parte saltem determinare quid necessario inesse debeat societati divinitus institutae, quae se ut talem et nomine Dei docentem et iubentem sistit hominibus; vel determinare potest quodnam sit certissimum indicium huiusmodi societatis; nempe testimonium divinum per miracula: 2) opus est ut ratio ante fidem haec cognoscere valeat, ut fidei assensus sit rationalis. Quia vero 3) revelatio characteres específicos Ecclesiae a Christo institutae exhibet, iique certe reperiri in vera Ecclesia debent, et frequenter cum iis agendum est, qui revelationem saltem Scripturis contentam recipiunt; ideo quando cum his disputatur, ex Scriptura quoque petendae sunt verae Ecclesiae notae, neque eas adversarii recusare possunt: debet enim Ecclesia esse specificae talis, qualem Christus instituit.

III. Evidentia quam notae gignere possunt, est evidentia tum veritatis tum credibilitatis. Illud dicitur evidens evidentia veritatis, cuius veritas videtur in se ipsa, h. e. per eiusdem rei analysim sive immediatam sive mediatam ope ratiocinii: illud dicitur evidens evidentia credibilitatis, cuius veritas non in se sed in testimonio quod evidens est dignum esse fide, videtur. Porro cum notae sint proprietates rei cuius sunt notae, illis in concreto cognitis cognoscis per intrinsecum medium rem ipsam, h. e. notitiam eius accipis ex analysi eiusdem rei, ideoque obtines evidentiam veritatis. Id vero non excludit fidem; quia fide apprehendis Ecclesiae proprietates, talemque credis debere Ecclesiam esse qualem exhibent Scripturae; et cum Ecclesiam esse intelligis, non excluditur actus fidei quo credas hanc esse veram Ecclesiam, quia idem potest sciri et credi sub diversis motivis. Iam vero per notas praesto est quoque evidentia credibilitatis; cum enim notas adhibes tanquam signum divinae testificationis quod haec sit vera Ecclesia, cum id tenes ideo tenes quia inniteris divinae auctoritati; talis porro actus est fides. Utraque evidentia tum credibilitatis, tum veritatis quoque, supposita, ut diximus, fide, gigni per se potest a notis: non tamen affirmamus ne-

cesse esse ut omnibus evidentia perfecta affulgeat; satis est enim quod hominibus evidens sit se prudenter agere si huic Ecclesiae nomen dent, quod rustici quoque et pueri modo sibi proportionato assequi valent, ad quod et interiore lumine divino adiuvari possunt piaque motione Dei; quae duo non habent locum cum sub iisdem exterioribus motivis falsitas aliqua proponatur.

IV. Iam vero his positis liquet reiiciendas esse eas duas notas, quas Protestantes proponunt, nempe veritatem doctrinae, et legitimam Sacramentorum administrationem. Hoc est enim quod quaeritur: quinam sit coetus qui habeat veram doctrinam, qui vere interpretetur Scripturas, qui legitime Sacramenta administret: veritas autem doctrinae revelatae ex magisterio doctorum accipienda est, qui proinde prius cognosci debent. « Quid Christus Apostolis revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt » (Tertull. Praescrip. 31.). Perinde vero dicendum de usu legitimo Sacramentorum, qui esse non potest, ut Protestantes ipsi concedunt, nisi in ea Ecclesia, quae habeat veram doctrinam. In summa *veritas doctrinae*, quae testificatione constat, et *recta administratio* Sacramentorum sunt res per se immediate invisibiles, quae per aliud manifestari debent; non sunt ergo notae, sed id quod per notas notum fieri debet. Si tamen quaestio sit cum iis qui Scripturas recipiunt; tum 1) possunt, ut diximus, colligi ex iis verae notae, quibus definiatur quaenam sit Ecclesia vera, habeaturque eius conceptus in abstracto: tum 2) si praeterea ii, qui veram Ecclesiam quaerunt, admittant certa dogmata in Scripturis contineri, puta Primatum Romani Pontificis, assumpta veritate huius doctrinae demonstrari potest tum negative falsas esse eas omnes Ecclesias, quae hoc dogma negant: tum positive quoque hanc esse veram Ecclesiam, si id quod assumitur tale sit ut coetus qui illud obtinet sit necessario vera Ecclesia. Universim autem ut ex veritate doctrinae vera Ecclesia demonstraretur, oporteret assumere omnem veram doctrinam; nam partem et haeretici retinere possunt: ea vero integra nunquam notior erit ipsa Ecclesia. Itaque duae quaestiones sunt accurate discernendae: 1^a utrum seiungi unquam possit ab Ecclesia Christi vera doctrina, ususque legitimus Sacramentorum: 2^a utrum per veritatem doctrinae, rectumque usum Sacramentorum discernatur vera Ecclesia a falsis: haec autem quaestio rursus duplex esse potest: h. e. a) utrum discernatur *ontologice*, b) utrum *logice*. Primae quaestioni negative respondendum, ut patet; et ideo ad alteram a) respondendum affirmative: quia per id, quo aliquid constituitur, etiam ontologice discernitur ab aliis. Sed ad alteram b) negative respondendum est, ut probavimus. Ex quibus

patet non quidquid constituit et discernit *ontologice*, discernere quoque *logice*; oportet enim praeterea ut sit nobis immediate notum, vel notius subiecto discernibili. Quae autem Protestantes proferunt ex Matth. XVIII, 20; Ioan. X. 27. XV. 3; Eph. V. 25. 26. probant quidem in Ecclesia vera esse ea, quae ibi affirmantur; sed non probant quod per eadem Ecclesia discernatur. Aiunt tamen: Patres in controversia praesertim donatiana provocarunt ad Scripturas, cum quaestio inter eos et haeticos versaretur « ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, utrum apud illos » (August. De Unit. Eccl. c. 2): ergo ex Scriptura seu ex veritatae doctrinae dirimenda est quaestio de vera Ecclesia. Resp. D. A. Provocarunt ad Scripturas, ut eruta ex iis summa omnium veritatum revelatarum ostenderent Ecclesiam catholicam esse veram quia habet veram doctrinam, quae Scripturis continetur; *nego*: ut ex Scripturarum, quas et adversarii recipiebant, perspicuis testimoniis colligerent notas, quibus deinceps uterentur ad discernendam veram Ecclesiam, *subd.*, et proinde ut quaestio de veritate doctrinae et speciatim de valore baptismi decideretur per notitiam verae Ecclesiae, *concedo*: ut quaestio de vera Ecclesia solveretur per veritatem doctrinae, *nego*. Dist. Cons. Ergo ex Scripturis, et quidem contra eos, qui illas recipiunt, derivari possunt notae quibus dirimatur quaestio de vera Ecclesia, *concedo*: ex Scripturis potest veritas doctrinae colligi, secundum quam iudicetur quaenam sit vera Ecclesia; *subdisting.*: potest omnis revelata veritas eaque cum certitudine colligi ante cognitam Ecclesiam, *nego*: potest colligi aliqua veritas, et per eam, dummodo ab iis, quibuscum est quaestio, Scriptura admittatur, potest solvi quaestio de vera Ecclesia; quemadmodum nos facimus adhibentes notas, *conc.* Quare liquet perperam haec ut aequivalentia haberi, probari veram Ecclesiam *ex Scriptura, et ex veritate doctrinae*.

V. Quaenam ergo sunt notae? Re absolute spectata, si supponantur ea, quae in praecedente Tractatu demonstrata sunt de Primatu Romani Pontificis, potest hac unica nota determinari vera Ecclesia. Nota nempe est dependentia et communio cum Romano Pontifice, quae visibilis per se est: ut illa dicatur vera Christi Ecclesia quae Romano Pontifici adhaeret; falsa quaevis, quae ab eo discedit. Huc redit argumentatio Optati L. II ubi se suosque probat contra Donatianum Parmenianum, esse in vera Ecclesia, quia ipsi communicant cum cathedra Petri, quae est, inquit, *prima de dotibus* Ecclesiae. Ac propterea colligit ceteras dotes Ecclesiae ad coetum suum pertinere, quia « ita connexae et individuae sunt ut intelligatur una ab altera separari non posse » et « per cathedram Petri, quae nostra est, ceteras dotes apud nos esse probatum est, » inquit. Dotes

appellat Optatus quas nos dicimus notas, et ita quoque a Parmeniano appellatae fuerant, quia ad sponsam pertinent; inter quas dotes numeratur fons unus, et angelus h. e. Episcopus, nempe societas cum angelis ecclesiarum.

Habita tamen ratione cuiusdam methodi initi a catholicis in disputationibus cum protestantibus, in qua disputatione illi ad abundantiam sepositis parumper propriis argumentis quibus Primatus ostenditur, permiserunt de ipsa Ecclesia Romana disputari, comparatione eius facta cum aliis ad normam Scripturarum; si hanc methodum sequi velimus, oportet abstractione facta a demonstratione Primatus, rursus congregari cum Protestantibus: quod quidem nunc sumus praestituri.

VI. Itaque Catholici quatuor notas statuunt quas et professio symbolica continet, et ad quas si quae aliae sunt, possunt revocari: *Credo unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam.* Sane constat 1) eas posse esse notas, sive eas esse id quod requiritur primo ut aliquid sit nota Ecclesiae, nempe ad factum sensibile revocari, et esse notius subiecto manifestando. Etenim in primis eae sunt proprietates Ecclesiae; quae differunt quidem formaliter secundum diversas rationes, sed materialiter possunt esse una eademque res: porro, ut iam vidimus, notae debent esse aliquid proprium subiecti. Proprietates autem non quidem omnes possunt esse notae, sed si quae sunt proprietates quae ad factum sensibile revocentur, eae et simul rem ontologicae constituent, et logice discernent. Adverte non prorsus idem significari cum dicitur *aliquid facto sensibili contineri*, ac cum dicitur *aliquid ad factum sensibile revocari*. Illud enim requirit ut omnia elementa eius, si plura habet, sint factum aliquid per se sensibile, alterum vero id non requirit, sed postulat ut aliqua quidem elementa sint per se sensibilia et si qua elementa per se insensibilia habet, nectantur necessario cum illis et ab iis repraesententur: quo fiat ut totum tum sensibiliter tum intelligibiliter videatur. Revocanda autem huc sunt ea, quae in §. X diximus de visibilitate intelligibili, eiusque gradibus diversis. Iam vero in supradictis proprietatibus distinguenda est primum necessitas earum, et eorumdem actualis existentia, illa ad ius spectat, haec ad factum. Huiusmodi vero existentia actualis ad factum sensibile, et per se omnibus obvium revocatur. Sane spectetur unitas: ea triplex est, unitas professionis fidei, unitas socialis seu subordinationis omnium uni regimini, unitas ritualis seu communicationis omnium iisdem Sacramentis: atqui professio eadem, subordinatio eidem regimini, communicatio eorumdem Sacramentorum res sunt in facto positae et visibiles visibilitate intelligibili: unitas vero interioris fidei ad factum

visibile revocatur, quia per professionem communem omnium certe repraesentatur; nequit enim deesse in eo coetu ubi est ea professio. Quare satis est professionem fidei tanquam notam adhibere. Quamvis autem fides, quam Ecclesia profitetur, debeat esse fides vera, sicut sacramenta, quibus omnes communicant, debent esse vera, et regimen quoque verum, nempe debeant esse id quod Christus instituit: tamen quia ipsa unitas professionis fidei, unitas socialis, unitas ritualis etiam per se spectatae sunt proprietates Ecclesiae; hinc, praecisione facta a veritate, si eae sensibiles sint, possunt certe esse notae. Talis autem est unitas, quam Christus voluit esse in Ecclesia sua, ut sit eadem in Ecclesia principium efficax et stabile eiusdem unitatis, ministerium nempe auctoritate praeditum, quod omnes audiant, cui omnes obediant; ideoque ministerium sensibile, cuius existentia, et cui praestita obedientia ad factum sensibile revocatur. Quodnam autem sit verum ministerium. h. e. vera auctoritate praeditum, id est quod quaeritur; attamen certa forma regiminis, abstractione nunc facta ab eius legitimitate, quam constat requiri ut una sit Ecclesia, visibilis est eaque sufficit ad notam. Itaque unitas triplex cum suo principio continetur facto sensibili, vel ad factum sensibile revocatur. Spectetur sanctitas. Sanctitas quidem interior non est immediate visibilis, sed exterior cultura virtutum est factum sensui et intellectui simul visibile, et per eam sanctitas quoque interior, si non in hoc aut illo determinato, in universitate tamen plurimorum videtur; cognoscitur enim fieri non posse ut plures ex illis non sint vere sancti. Rursus charismata e. g. miracula facto sensibili et intelligibili constant, ac per ea videtur sanctitas eorum vel illius coetus, pro quorum sanctitate comprobanda prodigia a Deo fiunt. Sanctitas legis, cuius propositio sensibiliter fit, est intellectui naturaliter quoque cognoscibilis; ideoque factum hoc quod hic coetus habeat legem sanctam, est factum visibile visibilitate intelligibili. Eius quoque principium obnoxium quod est ministerium a Christo institutum est visibile per se. Ergo et proprietas sanctitatis facto sensibili continetur, vel ad factum sensibile revocatur. Spectetur catholicitas: ipsa facto externo continetur, in quo intellectus videt unum eundemque coetum ubique catholicitate materiali et formali diffusum, eiusque catholicitatis principium h. e. auctoritatem. Spectetur Apostolicitas; ea triplex distinguitur, originis, doctrinae, regiminis: distinximus autem superius apostolicitatem successionis Pastorum in materialem et formalem. Non possumus quidem modo considerare apostolicitatem doctrinae, et formalem successionis; quia haec pertinent ad id quod per notas quaeritur: attamen quia proprietas est quoque simplex origo apostolica et apostolica successio